

Lech Szczucki (Warszawa)

J. Paleologa traktat *De veritate narrationis novae S.Scripturae*

Znajdujące się w druku dzieło Jakuba Paleologa *Catechesis Christiana*¹ stanowi drobną stosunkowo część jego twórczości, spoczywającej głównie w rękopisach Biblioteki Rumuńskiej Akademii Nauk w Cluj. Ponieważ o publikacji *opera omnia* greckiego heretyka nie ma na razie co marzyć (wobec licznych powtórzeń występujących w jego pismach nie wydaje się ona zresztą celowa), warto więc uprzystępnić jego drobniejsze utwory, a wśród nich przede wszystkim te, które powstały na progu niejako jego unitariańskiej działalności. Pisma owe bowiem precyzują niekiedy lub uwyrażniają myśli, które w przeznaczonej dla szerszego czytelnika *Catechesis Christiana* wypowiedziane zostały w sposób zawoalowany czy ogólnikowy. W przygotowanym do druku, znanym już zresztą częściowo czytelnikowi „Odrodzenia i Reformacji w Polsce”, studium o Paleologu², ogłaszam w aneksach list jego do papieża Piusa V z 1568 r. oraz dwa krótkie, ale doniosłe pisma: *De tribus gentibus* i *De peccato originis*. Na tym zaś miejscu ogłaszam ważny traktat greckiego heretyka pt. *De veritate narrationis novae Sacrae Scripturae sine vitio Sancti Spiritus*. Traktat ten — powstały przed 1574 r.³ — rzuca wiele światła na stosunek Paleologa do Nowego Testamentu, a przede wszystkim do zagadnienia boskiej inspiracji kierującej jego autorami, przy czym warto zauważyć, że Paleolog stara się ową inspirację ograniczać w duchu naturalistycznym i historycystycznym zarazem. Trzeba też zaznaczyć, iż stale w traktacie używane określenie „Spiritus Sanctus” nie oznacza bynajmniej osoby Trójcy, ale — zgodnie z uni-

¹ Iacobi Chii Palaeologi *Catechesis Christiana*, ed. R. Dostálová, w druku, (Biblioteka Pisarzy Reformacyjnych, nr 8).

² L. Szczucki, *Jakub z Chios-Paleolog*, „Odrodzenie i Reformacja w Polsce”, t. XI, 1966, s. 63-91 i t. XIII, 1968, s. 5-49.

³ Por. A. Pirnát, *Die Ideologie der Siebenburger Antitrinitarier in den 1570er Jahren*, Budapest 1961, s. 190, nr XXII (streszczenie traktatów *De veritate narrationis* i *De christi cognomine* napisał Jan Sommer, zmarły w 1574 r., a więc musiały one powstać przed 1574 r.).

tariańską koncepcją Paleologa — moc bożą lub ducha bożego. W dalszej kolejności opublikuję traktat *De christi cognomine*, w którym niezmiernie interesująco rysuje się swoista, skrajnie indywidualistyczna historiozofia Greka.

Traktat *De veritate narrationis* ogłaszam na podstawie fotokopii rękopisu Biblioteki Rumuńskiej Akademii Nauk w Cluj nr 1669, s. 729-741.⁴ Zachowany w odpisie tekst traktatu jest, niestety, w kilku miejscach wyraźnie popsuty, przy czym nie zawsze udało się go poprawić. Pisownię i interpunkcję zmodernizowano wedle przyjętych dziś zasad. Kilka — drobnych zresztą — błędów w greckich cytatach biblijnych (zawinionych niewątpliwie przez kopistę) poprawiliśmy milcząco wedle Septuaginty. Jeśli idzie o noty marginalne, to podajemy w przypisach wyłącznie referencje biblijne, opuszczamy natomiast marginalia o charakterze „informacyjnym”, które, jak się zdaje, sporządził właściciel (a zarazem i kopista) rękopisu, Mateusz Thoroczka. W przypisach zanotowane też zostały emendacje poczynione w tekście.

Pragnę wreszcie serdecznie podziękować dr Juliuszowi Domańskiemu, który w trakcie pracy związanej z przygotowaniem do druku bardzo trudnego tekstu Paleologa służył mi wielokrotnie swą cenną radą. Muszę nawet stwierdzić, że bez Jego pomocy nigdy bym się nie odważył na wydanie traktatu *De veritate narrationis*.

⁴ Opis rękopisu podaje Pirnát, op. cit., s. 188-190; por. też wstęp Dostálovej do *Catechesis Christiana*.

DE VERITATE NARRATIONIS NOVAE SACRAE SCRIPTURAE SINE VITIO
SANCTI SPIRITUS

IACOBO PALAEOLOGO AUCTORE

Quod ad illam partem, quae ad veritatem narrationis nostrorum scriptorum, Matthaei, Marci, Ioannis, Lucae, Pauli, Petri, Iacobi et Iudae, pertinet, illud observandum est, quod in aliis omnibus scriptoribus sacris, profanis observari solet: quaedam scilicet esse sui temporis, quaedam superioris eorum, quae narrant. Ad duntur his divinationes, quae ad sequentem aetatem pertinent, cum ex his, quae fiunt, vere prudentes introducuntur in historia divinare bona malave, quae sunt secutura. Nostris auctoribus aut Veteris aut Novi Testamenti datur illud praeterea, quod non a tripode aut Sibyllae foliis, sed a Deo omnium rerum conditore edocti certa tempora adesse aut fore claris verbis indicarunt, in quibus Deus stauisset aliquid facere.

Haec in suo quodque loco statuendum est, ne veritatum certitudines et ortus confundantur. Praeteritum enim praeteriit et suo modo et ordine praeteriisse certum est, nec, quin¹ praeterierit eoque loco, tempore, ratione, modo, quo a praesenti ad praeteritum transiit, dilapsus sit, facere vis ulla potest. Praecluserit enim Deus naturae et suae veritatis, quae, quid ipse voluerit olim, declarat, legibus aditus, ne res praeteritae in futurarum incertitudinem aut praesentium inconstantiam traduci queant. Ad praeteritorum firmitatem accedit praesentium certitudo, quae eo certa est et inviolatis legibus ornatur, qua praesens et praeteritum notat; qua futurum attingit, violatur varietatis contagio. Praesens enim qua praesens necessarium, quod Deus ob id exstare permisit, ut suae bonitatis exstaret vestigium. Instans tamen si tempus praesens, cui insistit, attingat, certitudinem eius veritatis vitiat atque ex certo incertum reddit. Futuri ratio in universum incerta est, nisi ab omnium temporum sustentatore et auctore Deo constabiliatur.

Quapropter vix ob id horum temporum, praeteriti, praesentis et futuri, rationes discernendae et discernendae sunt, quod non una ratione voluntatem divinam in se impressam hominibus produnt. Illa enim duo, praeteritum et praesens, certam, firmam et inevitabilem, hoc variam, incertam et mutabilem voluntatem Dei declarant. Ob id enim illa aut fuere aut sunt, quod Deus illa esse et fuisse stauisset; haec vero futura sunt, quoniam Deus ne fiant prohibere, ut fiant in causa esse potest. Ad hanc partem pertinet divinatio, quam dixi esse duplicem. Una, qua futurum attingit tempus praesens. Altera, qua a praesenti longe se futurum subtrahit. Hanc divinationem sapientibus et prudentibus hominibus [730] lectio et experientia, quae temporum collationes et condiciones dispicit, conciliare potest. Utraque non nisi a Deo rudibus hominibus donantur. Sapientes viri hanc acquirere usu rerum et providentia et Deo etiam manifestante possunt. Ad illam vero perspicacitas humani ingenii pervenit. Frequenter, Deo patefaciente, instare mala praedixerunt homines et veluti pro foribus esse. Huius rei causa est promiss-

¹ quin | qua cod. (corr. Domański)

sionum et minarum ratio (de his enim futuris hic disputatur, non de certis illis naturae operibus, quae aliunde habent unde certa esse dicantur), quae tota ex deliberantis Dei voluntate dependet, cuius consiliarius sit oportet, qui certam de constitutis diebus, quibus Deus aut afficere praemiis aut punire homines decrevisset, dicere sententiam velit.

Ad praeteriti rationem refero (ut exempla ex nostris scriptoribus, ad quorum declarationem haec scribuntur) Abrahamum patrem fuisse Isaaci et non filium, nec Iacobum esse Abrahami filium, sed nepotem; Esaiam non esse Ieremiam et scripta Ezechielis convenire quidem posse cum aliis, non esse tamen aliorum scripta, sed Ezechielis propria; primum esse primum, non decimum; et tempore Augusti Caesaris natum esse Iesum Christum, non Tiberii aetate. Atque ita, si quis diceret Evam non esse uxorem Adami, ex qua Abelus, Cainus et alii aliquot filii sunt suscepti, nisi error esset in nomine, errare illum dicerem. Et si quis repugnaret assereretque Spiritu Sancto monitum illum ita protulisse verba, errare quoque dicerem, quod scirem Spiritum Sanctum ignorare praeterita non posse et in praeteritorum ratione et veritate, quam per scripta exstare voluit, memoranda non falli. Praesentia sunt, quae nostri scriptores oculis viderunt et auribus audierunt sua aetate accidisse: Iesu Christi contiones, necis causas, numerum selectorum discipulorum, Pauli hostilitas, docilitas, calamitas narrata et huius ordinis alia. Et quemadmodum, si quis sequenti aetate dixisset caecum illum, de quo narrat Ioannes, visum non recepisse iussu Iesu Christi, revinci posset et ab historia, quae eo tempore scripta esset, et a caeco illo, qui tam diu vivere potuisset, ut cum illis, qui hoc negarent, loqui posset: ita si quis aetate Iesu Christi aut factum negasset aut aliter factum dixisset aliquid de rebus, quae eam aetatem antecesserant, et scripta narratione exstaret ab ea opinione eum discedere, omnes omissa historiae veritate fecissent, ne falli aut alios fallere et in rerum praeteritarum commemoratione et ad praesentes sermone et ad posteros scripto contagium falsae opinionis transmittere posset. Horum duorum temporum veritatem complectuntur nostri scriptores, cum aut deducunt historiam a temporibus, quae eos praecesserunt, quod ad praeteritum tempus refertur, aut contexunt narrationem factorum [731] et dictorum Iesu Christi, quod ex veritate rerum, quas viderant fieri, pendet. Quemadmodum autem in hoc diligentia, ita in illo tenax memoria poscebatur, ne quid aut diceretur aut scriberetur, quod aut non esset ex veris historiis collectum aut non ipso eventu exstitisset, ne illinc deviare ab antiquis historiis memoriae defectu videretur aut hinc sinceri rerum scriptores non esse ab aliquo existimarentur. Has descriptionis leges sibi apostolos, dum scribere coepissent, proposuisse ostendit, quod numquam, cum de his duobus temporibus tractant, Spiritus Sancti aut Dei aut Iesu Christi aut angeli nomen inserunt aut testimonium inde petunt. Et de praeterito quidem ibi: Ἀβραάμ ἐγέννησε τὸν Ἰσαάκ, Ἰσαάκ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰάκωβ τοῦ Ἡλὲι, τοῦ Μάθαι, τοῦ Λευὶ etc. Ὡς γέγραπται ἐν τοῖς προφήταις: Ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω etc. Ἐπειδήπερ πολλοὶ ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν etc.² ἥτις λαβοῦσα λαλεῖσθαι διὰ τοῦ κυρίου, ὑπὸ τῶν ἀκουσάντων etc.³, et huiusmodi alia, in quibus et diligentiae humanae est quaerere legem, quam in nostrae causae defensionem proponimus, ne unum pro alio propheta adducamus, ne unum pro pluribus et ne plures quidem pro uno, et memoriae fidelitatis, ne unum pro alio auctore, nomine, dicto adferamus et ne historiam veterem pro nova adducamus fiatque nominum aut temporum confusio. Praesentia sunt illa: Καὶ ταύτην τὴν φωνὴν ἡμεῖς ἠκούσαμεν ἐξ οὐρανοῦ ἐνεχθεῖσαν, σὺν αὐτῷ ὄντες

² in marg. Luc. 1.

³ in marg. Heb. 2.

ἐν τῷ ὄρει τῷ ἁγίῳ etc.⁴ Ὁ ἦν ἀπ' ἀρχῆς, ὃ ἐωράκαμεν τοῖς ὀφθαλμοῖς etc.⁵ Οὐ δύναμεθα γὰρ ἡμεῖς ἃ εἶδομεν καὶ ἠκούσαμεν μὴ λαλεῖν etc.⁶ In his et similibus nulla fit Spiritus Sancti mentio, nisi quod daret illis animum, ut ea nuntiarent, quae viderant et cognoverant. In tantis rerum perturbationibus accesserat studium et memoriae fidelis cura, ut ea proponerent, quae olim audisse(n)t et legisse(n)t, et perspicuitatis et ingenii, ut ea pro tempore aptarent et pro loco dicerent, ut: τοῦτο ἔστιν τὸ εἰρημένον διὰ τοῦ προφήτου Ἰωήλ· καὶ ἔσται ἐν ταῖς (etc.)⁷. Unde et illa: διελέγετο αὐτοῖς ἀπὸ τῶν γραφῶν, διανοίγων καὶ παρατιθέμενος ὅτι (etc.)⁸. Conferri enim possunt allegationes cum scriptis, unde petuntur testimonia, sensus scriptorum examinari, conferri loca, si apte, si ad propositum proponuntur, et si quidem commode adducta sunt, laudari, sin minus, venia petita, ob honorem dicentis, scribentis maiori habita praeteritorum reverentia quam allegantis ex infidelitate memoriae, aliter quam exstant, de errante recordatione moneri [732]. Neque religione tangi debemus, quae Augustinum percullit, ut quid dicendum sibi esset, statuere non posset, cum allegata a nostris scriptoribus ad vetusta scripta, unde illa hausta allegabantur, non consonare invenirentur. Alterutrum enim dicendum esse quis non videat? Aut enim ibi male scripta sunt aut hic male pro testimonio adducuntur. Cuius filius fuerit Iosephus scimus, legimus enim: ὡς ἐνομιζέτο υἱὸς Ἰωσήφ τοῦ Ἥλει. Atque hoc scire aequae refert atque nescire. Poterat enim Lucas hoc aliunde audisse; at cum dicit: τοῦ Ῥησῖα τοῦ Ζοροβάβελ τοῦ Σαλαθιήλ τοῦ Νειρί hosque deducit recto ordine ἐκ τοῦ Ναθάν τοῦ Λαβίδ, quis non intelligit harum narrationum historiam ex his quae recipiuntur scriptis esse, ut cum illis convenient, quaerendam? Sicut et illa Matthaei: Ζοροβάβελ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἀβιοῦδ, Ἀβιοῦδ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἐλιακίμ etc. Haec sane ita variant ab antiquis scripturis receptis, ut certo mihi persuadeam cum hoc tum alia, si nostri scriptores disputationem habituri cum adversariis, si, quando haec essent in aciem proferenda, consulerent, de hac rerum diversitate moniti fuissent, haec mutassent et ad antiquorum scriptorum veritatem conformassent, ne quis eos ex adversariis arguere erroris aut falsae memoriae aut studii, quod per ea confirmare Iesu Christi natales et res gestas dictaque quaererent, quae commenta essent ipsorum et ab antiquis scripturis aliena, posset⁹.

Hoc studium accuratissime observavit Paulus, quod sibi cum legislatoribus certamen esse videret et libris in manibus versatis saepe contentio susciperetur. Minor cura fuit in aliis, quod his scribebant, qui erant bene edocti et se doceri patiebantur et potius cognita recolare, quam numquam audita nosse comperiebantur. His siquidem satis erat verum esse quod narraretur, quamvis narrationis ordo et modus perturbator cognosceretur. Excidere sane memoria, unum pro alio adducere, in nominibus falli, seduci patientibus parum momenti adfert ad turbandum auditoris animum, ne credere ea, quae dicuntur, velit. Haec tamen si accidant sub iniquo iudice et adversante auditorio, cum doctrinae explosione magna cum ignominia repellitur quantumvis egregius doctor. Quare nihil incommodare video doctrinae a nostris scriptoribus scriptis in libris inclusae, si ubi accidit, ut aut a temporis notatione aut a locorum allegatione aut a nominum recitatione aut a pronuntiatorum adductione ex adductis historiis illorum, qui ob receptam auctoritatem et ob id, quod praesentes illis rebus quas narrat fuissent, inveniuntur humani, quod homines essent, aliquid in [733] se habuisse. Quae res non in Spiritum Sanctum, non in Deum, qui sibi semper consonat, retorqueri debet, sed in scriptorum condicionem, qui homines per incuriam labi poterant. Haec sane duo tempora industriae et curae humanae sunt utraque et ob id et de praesentibus doceri melius et de praeteritis

⁴ in marg. 2 Pet. 1.

⁵ in marg. 1 Io. 1.

⁶ in marg. Act. 4.

⁷ in marg. Act. 2.

⁸ in marg. Act. 17.

⁹ posset | possent cod.

moneri diligentius quis scriptor potest. Tertium illud de futuro, quod totum est divinationis et totum (quantum ad nostros auctores attinet) Spiritus Sanctus sibi desumpsit manifestareque hominibus voluit, nihil humani habet admixti, nil ibi erroris quaerendum¹⁰ est, et si quaeratur, infelix successus erit. Res enim certa et constans illi veritati incumbit et imminet, quae a voluntate Dei propendet tota et cuius spiritus Dei est conscius.

Haec veritas discernenda est a duabus duorum temporum, quae narravimus, veritatibus, quod illae naturae sunt et humanorum eventuum, haec consilii divini, promissionum aut minarum numinis, deliberationis Dei in temporibus, locis et personis proponenda docte, depellendae adversantes animose est¹¹, quanta quanta est. Haec ad illam ferme oblitteratam ex memoria hominum antiquam promissionem pertinet: ἐν τῷ σπέρματι σου εὐλογηθήσονται πάντα τὰ ἔθνη. Promissio haec est Abrahamo facta¹², quod τὰ ἔθνη aliquando tandem Deus esset recepturus in gratiam, non per circumcisionem, quam tum omnibus lege lata permittere licebat et in numerum filiorum Dei cooptari, sed ἐν ἀκροβυστία per unum ex eius posteris; quis tamen ille futurus esset et qua aetate, scriptum non est, fore tamen recipitur. Haec tempora, hanc aetatem, hunc, per quem τὰ ἔθνη ἐν ἀκροβυστία reconcilianda erant Deo, manifestante Deo, monente Spiritu Sancto et animum adducente, ut hoc omnibus nuntiaretur, descripta habent una cum illis duobus aliis temporibus Biblia sacra. Et hac in parte verum est, quod Augustinus dicit: si veritatis auctor Spiritus Sanctus alicubi falsum dixisse deprehendi posset, veritas quoque, quae certe veritas est, suspecta de veritate hominibus redderetur. Hanc ob causam in hac parte totus incumbit Spiritus Sanctus illa esse tempora constituta a Deo reddendae promissionis τοῖς ἔθνεσιν et repellendi Iudaeos, quod olim non servantibus legem suam Deus fore minatus fuerat, illum esse Iesum declaratum Christum, per quem haec reddenda erat hominibus promissio, certis testificationibus manifestans. Nam non minus ἀπεριτητοῖς quam περιτεθημένοις varietate linguarum, fidei dono, recipiendae doctrinae felicitatem, morum reformatione, se ipso denique Spiritu Sancto ornatis ostendit utrosque pariter ad eadem bona regna felicitatesque a Deo fuisse vocatos et receptos, non minus illos in praepotio quam hos in circumcissione. Qua de re ita scribitur et de ἔθνεσιν quidem: τῷ δυναμένῳ ἡμᾶς στηρίξει κατὰ τὸ εὐαγγέλιον μου καὶ τὸ κήρυγμα [734] Ἰησοῦ Χριστοῦ, κατὰ ἀποκάλυψιν μυστηρίου χρόνοις αἰωνίοις, σεσιγημένου φανεροθέντος καὶ νῦν διὰ τε γραφῶν προφητικῶν κατ' ἐπιταγὴν τοῦ αἰωνίου Θεοῦ εἰς ὑπακοήν πίστειας, εἰς πάντα τὰ ἔθνη¹³. De χρόνῳ vero: ὅτε δὲ ἦλθε τὸ πλῆρωμα τοῦ χρόνου, ἐξαπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ, σπέρμα τοῦ Ἀβραάμ γενόμενον ἐκ γυναικός, γερόμενον ὑπὸ νόμου (τῆς περιτομῆς), ἵνα τοὺς ὑπὸ νόμου ἐξαγοράσῃ¹⁴. De persona autem: ὑμεῖς ἔστε υἱοὶ τῶν προφητῶν καὶ τῆς διαθήκης ἧς διέθετο ὁ Θεὸς πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν λέγων πρὸς Ἀβραάμ καὶ ἐν τῷ σπέρματι σου εὐλογηθήσονται πᾶσαι αἱ πατρίαι τῆς γῆς ὑμῖν πρῶτον ὁ Θεὸς ἀνάστήσας τὸν παῖδα etc.¹⁵

Haec ex innumeris pauca desumpsimus, ad quam partem vota patrum vertuntur. Περὶ ἧς σωτηρίας ἐξεζήτησαν καὶ ἐξηραύνησαν προφήται οἱ περὶ τῆς εἰς ὑμᾶς χάριτος προσητεύσαντες¹⁶. Abrahamus enim primus et post eum ordine reliqui sancti viri hoc desiderabant videre aut scire et providere tempus, quo Deus reconciliatus τοῖς ἔθνεσιν per unum ex posteris Abrahamici generis unum ex circumcisis et

¹⁰ quaerendum | quae rerum cod. (corr. Domański)

¹¹ textus corruptus esse vide-

¹² in marg. Gen. 21 et 18, 18.

¹³ in marg. Ro. 16.

¹⁴ in marg. Gal. 4.

¹⁵ in marg.

Act. 3.

¹⁶ in marg. 1 Pe. 1, 10.

praeputiatis populum efficeret. Et quamvis Deum, quod promiserat, aliquando redditurum sperarent, cum scirent et τὰ ἔθνη ἀπεριτιμητά salvanda esse et salvatorem fore unum ex Abrahamica posteritate, temporis tamen opportunitatem, in qua per hunc in illa salus derivanda esset, scire desiderabant. In quam partem prophetae omnium maxime mentis et precum omnes nervos intendebant, et si quid de temporis illius principio, quo gentibus praeputiatis erat communicanda salus, scirent, quod scire sine Spiritu Sancto omnium secretorum Dei conscio non poterant, ad consolationem suae gentis scripto sunt complexi. Οὐ γάρ, inquit, θελήματι ἀνθρώπου ἤνεχθή ποτε προφητεία, ἀλλὰ ὑπὸ πνεύματος ἁγίου etc.¹⁷ Quis enim hominum non pervestigare,¹⁸ sed ne vestigia quidem rerum, quas Deus apud se solus deliberat, invenire potest?

Haec duo Petrus comparat inter se, descriptiones antiquorum vatum, qui qualis futurus esset Iesus Christus praedixerunt, et verba, quae ipse cum aliis in monte de Iesu a Deo dici audivit; quae quamvis unius fuerint veritatis testimonia, tamen illorum βεβαιότερον τὸν προφητικὸν λόγον esse dicit, quod videatur familiaritas, quam ipse cum Iesu Christo habuisset, assidua eius, quod in commendationem Iesu Christi audierat, quod ipse amicus et discipulus narraret, aliquam partem fidei apud ad[735]versarios detrahare posse. Et in hoc, quod dixi „tempore instante”, totus cardo scriptorum apostolicorum versatur, promissam scilicet salutem olim τοῖς ἔθνεσι placuisse Deo illa aetate per Iesum Christum donare sine circumcisionis signo. Et hoc totum est, quod Evangelium vocat apostolus Paulus, cuius causa magni motus excitati sunt in Iudaea eo tempore hoc affirmantibus apostolis, quod principes Iudaeorum audire non poterant. Quare et mortem Christo et post mortem apostolis intulerunt, quod ille praenuntiasset, hi narrarent tempora advenisse salutis parandae a praeputiatis, reiectis et deturbatis ex possessione bonorum circumcisis. Duas siquidem quas legebant Abrahamo factas promissiones, unam de se, quod possessores essent futuri orbis universi, alteram, quod benevolentia Dei esset tandem per eos praeputiatos dimanatura, ita interpretantur fore quidem utrumque, sed pro more et consuetudine recepta si circumciderentur τὰ ἔθνη¹⁹. Nam sine circumcisione nulli contingere posse salutem sibi persuaserant. At Deus aliter constituerat suaeque voluntatis paucos fecit conscios. Decreverat siquidem Iudaeos solos sibi retinere, si auscultantes Iesu, quem in Christum eis dederat, resipuissent et paenitentes Dei arbitrio se dedidissent: quodsi Iesum reiecissent et in eum fuissent iniurii, fixerat apud se firmam legem inserere ἀπεριτιμητὰ ἔθνη semini Abrahamico recipereque pro posteris Abrahami illa genere tenus Abrahamica posteritate reiecta, modo illa Iesum pro Christo recipere voluissent. Quod et factum est; unde tumultus et turbarum principia inter Iudaeos et alios, qui haec et decreta a Deo et a se probari dicebant. Tanto autem odio Deus persecutus esse dicitur posteritatem a se prius amatam et cultam honoribus et beneficiis Abrahamicam, ut excepta illa parte, ἣν προέγνω, quam et σπέρμα et λόγον συνετελών καὶ συντέμνων καὶ συντετιμημένων καὶ κατάλειμμα appellat Paulus²⁰ et quam in unum cum τοῖς ἔθνεσι salvandorum coetum coniunxit, reliquos omnes cum his, quos aversatus est maxime reiectos, intra tartara deiecit.

Haec una et sola est veritas, qua a Spiritu Sancto ministrata, tempora illa fuisse, in quibus Deo placuisset suam fidem de promissis olim Abrahamo rebus exsolvere significant. Quae a Ioanne Baptista et a Iesu Christo provisiva apostolorum temporibus perfecta est. Qua de re loca aliqua adducemus. Et ille quidem: Γεννήματα ἐχιδνῶν, τίς ὑπέδειξεν ὑμῖν φυγεῖν ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς; ποιή-

¹⁷ in marg. 2 Pe. 1.
marg. Act. 15, 1.

¹⁸ pervestigare | pervestigaret cod. (corr. Dōmański).
²⁰ in marg. Rom. 11.

19 17a

σατε οὖν καρπούς ἀξίους τῆς μετανοίας etc.²¹ Et: καὶ μὴ δόξητε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς πατέρα ἔχομεν τὸν Ἀβραάμ λέγω γὰρ ὑμῖν ὅτι δύναται ὁ Θεὸς ἐκ τῶν λίθων τούτων ἐγεῖραι τέκνα (τὰ ἔθνη notans) τῷ Ἀβραάμ ἤδη δὲ καὶ ἀξίην πρὸς τὴν ῥίζαν etc. [736]. Per quem autem esset hoc futurum, ut abscissis ramis (Iudaeis scilicet) novi stolones essent arbori inserendi, qui λίθοι et ἔθνη et ἀγριέλαιοι dicuntur, ostendit: ὁ δὲ ὀπίσω μου ἐρχόμενος ἰσχυρότερος μού ἐστιν, οὗ οὐκ εἰμι ἰκανὸς τὰ ὑποδήματα βαστάσαι. Et: οὗ τὸ πτύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, καὶ διακαθαρεῖ τὴν ἄλωνα αὐτοῦ, καὶ συναΐξει τὸν σίτον αὐτοῦ. Hunc postea vocat νόμφιον Χριστόν et Zacharias κύριον cuius virtute erat paranda ἡ σωτηρία ἐξ ἐχθρῶν καὶ ἐκ χειρὸς πάντων τῶν μισούντων²² populo Dei, tritico bono, armento selecto. Et Simeon σωτήριον κατὰ πρόσωπον πάντων, πάντων τῶν λαῶν paratum, καὶ φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν, καὶ δόξαν λαοῦ Ἰσραήλ²³. Et e caelo Deus ἀγαπητὸν υἱόν, per quem decrevisset aut Iudaeos servare per vitam eius aut per mortem eius ingratam Iudaeis, qui illum erant occisuri, reiectis recipere. Et haec quidem illius temporis sancti homines et vates Dei nuntiabant: venisse tempus, quo Deus per eum, quem ipse constituerat, et non per quem Iudaei somniabant et animo obversabant, restitutus illis regnum esset. Quodsi hoc grato animo recipere nollent malique aliquid in regem a Deo illis propositum designassent, futurum ut illis abiectis nova gens esset a Deo, in quam regnaret, eligenda et ea²⁴ quam ipsi minime vellent. Iesus autem Christus pro hoc argumento ad hunc modum: πεπλήρωται ὁ καιρὸς καὶ ἤγγικεν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ· μετανοεῖτε καὶ πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ²⁵. Et: πολλοὶ ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν ἤξουσιν καὶ ἀνακλιθήσονται μετὰ Ἀβραάμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακώβ ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν· οἷδὲ υἱοὶ τῆς βασιλείας ἐκβληθήσονται etc.²⁶ Et οἱ τελῶται καὶ αἱ πόρνοι προάγουσιν ὑμᾶς εἰς τὴν (βασιλείαν τοῦ Θεοῦ)²⁷. Et: ἀρθῆσεται ἀφ' ὑμῶν ἡ βασιλεία etc. Et: ὁ μὲν γάμος ἔτοιμός ἐστιν etc.²⁸

Huius autem mutationis regni, ut eiectis antiquis civibus novi essent in illud cives recipiendi, causam esse dicit, quod doctrinam eius de reformandis legibus divinis, de mutandis opinionibus, quas de Deo, quas de sacris imbuti erant, non recipere. Vinum novum (doctrina nova) in utres veteres non infundendum, inquit, sed magno cum commodo utres novi novo vino impleri solent²⁹. Haec doctrina se regem esse, qui explanare posset, qua ratione colendus esset Deus, et necessarium erat ut omnibus nuntiaretur, et parare debebat bella et tumultus, ut dixerit necessarium esse oriri mala offendique multos seque venisse, non ut pacem ferret, sed ut bella moveret.³⁰ Illud enim cogebantur illi nuntiari, quod hos ad tumultus concitabat, et flante vento doctrinae qui navis exposita in altum sine anchoris, qui mare quiescere potest? Certum tempus utrique rei constitutum fuisse a Deo sic declarat, ut dicat [737] se vivo τὰ ἔθνη minime, Iudaeos reconciliare Deo potuisse, se vero mortuo Iudaeis praecisam, τοῖς ἔθνεσιν apertam fore salutis viam. Τὶ ἡμῖν καὶ σοί, Ἰησοῦ, inquit, υἱὲ Θεοῦ, ἤλθες ὧδε πρὸ καιροῦ βασανίσαι ἡμᾶς³¹.

Ante tempus, quoniam nondum mortuus, morte siquidem interveniente et eiciendi erant οἱ κακοδαίμονες ἐκ τῶν ἐθνῶν, quibus erat aperienda salutis via, et

²¹ in marg. Matt. 3, 7.

²² in marg. Luc. 1, 71.

²³ in marg. Luc. 2.

²⁴ ea |

eam cod.

²⁵ in marg. Mar. 1, 15.

²⁶ in marg. Matt. 8, 11.

²⁷ in marg. Matt.

21, 31, 43.

²⁸ in marg. Matt. 22, 8.

²⁹ in marg. Matt. 9.

³⁰ in marg. Matt. 10,

34 et 18, 7.

³¹ in marg. Matt. 8, 29.

in Iudaeos immittendi, ut illis verbis indicatur πῶς δύναται τις εἰσελθεῖν εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ Ἰσχυροῦ (τοῦ σατανά) καὶ τὰ σκεύη αὐτοῦ διαρπᾶσαι ³². Et: τότε λέγει· ἐπιστρέψω εἰς τὸν οἶκον μου ὅθεν et quae sequuntur. Eiectus enim ab Abrahami posteritate τὰ reliqua ἔθνη invasit. At eiectus inde postea locum ubi habitaret non habebat, quare ad Iudaeos, peius quam ante Abrahami tempora eos afflicturus, regressus est.

Et: Τούτους τοὺς δώδεκα ἀπέστειλεν ὁ Ἰησοῦς παραγγέλλας αὐτοῖς λέγων· Εἰς ὁδὸν ἐθνῶν μὴ ἐπέλθητε. Et: ὅταν δὲ διώκωσιν ὑμᾶς ἐν τῇ πόλει ταύτῃ, φεύγετε εἰς τὴν ἐτέραν· ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ τελέσητε τὰς πόλεις etc.³³

Persistite, inquit, in civitatibus Israeliticis contionando, nec ob id, quod eicimini ex una civitate, statim ad Samaritanos et ethnicos debetis immigrare, sed in aliam Israelitici generis urbem ingredimini, atque ita continenter perstate Iudaeis contionando, nec existimetis opus esse, ut quaeratis, quid sit vobis faciendum, si ab omnibus Israeliticae gentis urbibus pulsi fueritis: num possitis ad Samaritanorum fines accedere, quoniam non pervagabimini omnes Iudaeorum urbes nuntiando et monendo de regno meo, et veniet finis gentis et imperii Iudaici. Et: Ἀπὸ τῶν ἡμερῶν Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ ἕως ἄρτι ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν βιάζεται, καὶ βιασται ἀρπάζουσιν, πάντες γὰρ οἱ προφῆται... ³⁴.

Omnia, quae de ἔθνεσι prophetae nuntiaverant, a tempore Ioannis observari coeperant. Et Elias, qui praemitti ad viam complanandam venturo regi debuerat, Ioannes fuisse dicitur, ἀρπαστάς autem et βιαστάς vocat praepuatiatos, qui quasi in rem ad se pertinentem (in) regnum, quod reposcebant, manus inferrent. Et: εἰ ἐν Τύρῳ καὶ Σιδῶνι (urbes sunt τῶν ἐθνῶν) ἐγένοντο αἱ δυνάμεις αἱ γεγ(ομέ)ναι ἐν ὑμῖν)... Et: εἰ ἐν Σοδομοῖς (alienis a posteritate Abrahamica) ἐγένοντο αἱ δυνάμεις...³⁵.

Statuta erant tempora certa a Deo vocandorum ad se τῶν ἐθνῶν, ante quae non licebat parata pro Iudaeis τοῖς ἔθνεσι communicare; haec mortuo Iesu Christo sunt omnibus praepuatiatis postea tamquam salutis participibus communicata. Et: οὐκ ἀπεστάλην εἰ μὴ εἰς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου Ἰσραήλ. Et: οὐκ ἔστιν καλὸν λαβεῖν τὸν ἄρτον τῶν τέκνων καί... ³⁶ [738]. Oves perditae et errantes Iudaei omnes praeter τὰ ἔθνη cognominantur, quae paulo post locum illorum erant occupatura. Εἰσὶ τινες, inquit, ὧδε ἐστώτων, οἵτινες οὐ μὴ γεύσονται θανάτου, ἕως ἂν εἰδῶσι βασιλείαν ³⁷ Iesu: vocat novum civium conventum abiectis et exactis prioribus. Unde illud: τί σοι δοκεῖ, Σίμων; οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς (τὰ ἔθνη) ἀπὸ τίνων λαμβάνουσι τὰ τέλη ἢ κῆνσον, ἀπὸ τῶν υἱῶν αὐτῶν ἢ ἀπὸ τῶν ἄλλοτριῶν; λέγει αὐτῷ ὁ Πέτρος ἀπὸ τῶν ἄλλων, ἔφη αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· ἄραγε ἐλεύθεροί εἰσιν οἱ υἱοί, υἱοὺς cives Romanos, ἄλλοτριους provinciales cognominans.³⁸ Cives enim Romani non pendebant tributum, quare cum ad eandem regni condicionem τὰ ἔθνη admissa et recepta fuissent a Deo, eiusdem regni cives Iudaei πιστοὶ et τὰ ἔθνη, hoc est Ῥωμαῖοι πιστοὶ effecti, unialteris pendere tributum non debebant. Τὰ ἔθνη alibi ἐν πρόβατον τὸ πλανώμενον vocat ³⁹, cuius recuperandi causa relictis πρόβασι ἐνενηκόντα ἔννεα ἐπὶ τὰ ὄρη errantibus et respiscere nolentibus pastor descendens ex pascuis in plana venerit. Προσάκις, inquit,

³² in marg. Matt. 12, 29.

³³ in marg. Matt. 10, 23.

³⁴ in marg. Matt. 11, 12.

³⁵ in marg. Matt. 11, 22, 23.

³⁶ in marg. Matt. 15, 26.

³⁷ in marg. Matt. 16, 23.

³⁸ in marg. Matt. 17, 25.

³⁹ in marg. Matt. 23, 12.

ἠθέλησα ἐπισυναγαγεῖν τὰ τέκνα σου, ὃν τροπ(ον)... ἰδοὺ ἀφίεσται ὑμῖν...⁴⁰. Si enim Iudaei Iesum pro Christo recepissent illique paruisent, nec Israelis regnum fuisset desolatum et de praeputiatis gentibus aliud esset exspectandum a Deo oraculum.

Illud autem dictum⁴¹: καὶ ἄλλα πρόβατα ἔχω ἃ οὐκ... κἀκεῖνά με δεῖ ἀγαγεῖν, καὶ τῆς φωνῆς μου ἀκούσουσιν, καὶ γενήσεται μία ποίμνη, εἰς ποιμήν, seu, ut Paulus ait, ἵνα τοὺς δύο κτίση ἐν αὐτῷ εἰς ἓνα καινὸν ἄνθρωπον, ostendit Iudaeorum explosam gentem, ita ut non nisi κατὰ λείμμα coniunctum cum ἔθνεσιν effecerit unam Dei ecclesiam. Et Caiaphas illa verba dicens, quid portenderent intelligere non poterat. Συμφέρει ἡμῶν, inquit, ἵνα εἰς ἄνθρωπος etc. Quae Ioannes ita interpretatur: ὅτι ἐμέλλεν ὁ Ἰησοῦς ἀποθνήσκειν ὑπὲρ τοῦ ἔθνους, καὶ οὐκ ὑπὲρ τοῦ ἔθνους (τῶν Ἰουδαίων, τοῦ καταλείμματος) μόνον, ἀλλὰ ἵνα καὶ τὰ τέκνα (τὰ ἐξ ἔθνῶν) τοῦ Θεοῦ, τὰ διεσκοπισμένα, συναγάγῃ εἰς ἓν (εἰς μίαν ποιμήν, αὐλήν)⁴².

Et huius rei adesse dicebat tempora inquiens: ἐπάρατε τοὺς οφθαλμοὺς ὑμῶν, καὶ θεάσασθε τὰς χώρας (τῶν ἔθνῶν) ὅτι λευκαί...⁴³. Quae item apostolis reservarentur. Ita enim dicit: ἐν γὰρ τούτῳ ὁ λόγος ἐστὶν ἀληθινός, ὅτι ἄλλος ἐστὶν ὁ σπείρων καὶ ἄλλος etc. Ἐγὼ ἀπέστειλα ὑμᾶς. Partos enim morte Iesu Christi cives facile fuit apostolis ad regnum Iesu Christi deducere. Ad has doctrinae novae cōtiones occaluerant⁴⁴ illi. Καὶ ἐπαχύνθη, inquit, ἡ καρδιά αὐτῶν, καὶ τοῖς ὁσὶν βραδέως ἤκουσαν καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμυσσαν⁴⁵, ut videre et audire et intelligere et respiscere non possent, et cum illi doctrinae contradicerent et nec ingredi vellent ad regnum nec alios ad ingrediendum sinere⁴⁶ vel hanc unam ob causam, quod ob id, quod essent scelesti, diceretur adaequasse illos Deus cum gentium praeputiatarum condicione, respuebant et nihil audire volebant, quod illis nuntiaretur. Hoc mollius ita explicat Iesus Christus: ἐλθόντες δὲ οἱ πρῶτοι ἐνόμισαν, ὅτι πλεῖον λήμψονται, καὶ ἔλαβον καὶ αὐτοὶ ἀνά δηνάριον⁴⁶. Putabant se Iudaei cum τοῖς ἔθνεσιν uno in regno cives fore, sed se primarios, τὰ ἔθνη vero ultimae sortis; quod aliter quam illi putarant accidit. Nam Iudaeis abiectis τὰ ἔθνη in numerum civium sunt recepta. Atque ad hunc modum obduratis ita praedicat fore: εἰ ἐμὲ ἐδίωξαν, καὶ ὑμᾶς διώξουσιν· εἰ τὸν λόγον μου...⁴⁷. Et: εἰ ἐν τῷ ὑγρῷ ξύλῳ...⁴⁸. Cum enim rationibus certare ut vincerent non possent, ad arma sunt conversi et cum rem quae nuntiabatur suppressere non possent, ad illos qui eam nuntiabant arma converterunt. Unde mortes et neces iniustae sunt secutae. Ταῦτα, inquit, ἐπάθειτε καὶ ὑμεῖς ἀπὸ τῶν Ἰουδαίων⁴⁹ usque ἵνα σωθῶσιν. Et cum illi saeviendo et occidendo existimarent extinguendo doctores extinguere posse doctrinam (et) magis magisque efferrentur, Deus Pater alteram viam e diverso ingressus illorum cōnatus uti coepit ad illud maxime promovendum per doctorum mortes, quod illi doctores occidendo opprimere speraverant. Et sane ita erat statutum: ἐὰν μὴ, inquit, ὁ κόκκος τοῦ σίτου etc.⁵⁰ καρπὸν τὰ ἔθνη cognominans, quae morte sua interveniente in culturam vineae erant admittenda relictis parricidis agricolis. Tunc tempus advenerat ex τοῖς ἔθνεσι reiciendi κακοδαίμονα illum, de quo ait proximus morti: νῦν ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου ἐβληθήσεται ἔξω· κἀγὼ ἐὰν ὑψωθῶ...⁵¹

⁴⁰ in marg. Matt. 23, 37.

⁴¹ in marg. Io. 10, 16.

⁴² in marg. Io. 11, 50.

⁴³ in marg. Io. 4, 35.

⁴⁴ in marg. Matt. 13, 15.

⁴⁵ in marg. Matt. 23, 13.

⁴⁶ in

marg. Matt. 20, 10.

⁴⁷ in marg. Io. 15, 20.

⁴⁸ in marg. Luc. 23, 31.

⁴⁹ in marg.

1 Thes. 2, 14.

⁵⁰ in marg. Io. 12, 24.

⁵¹ in marg. Io. 12, 31.

Πάντα, inquit, οἱ Ἰουδαῖοι καὶ τὰ ἔθνη, illi circumcisi, hi praeputiati, quae vox ita effertur: ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς (hoc est πανταχοῦ, est enim phrasis), πορευθέντες οὖν etc.⁵². Mortuo enim Iesu Christo Deus pretium mortis omnes tam Iudaeos reliquos quam praeputiatos donavit. Inde principio ducto a finitimis quos magno odio patricii Iudaeorum prosequerentur Samaritanis, ad quos ante mortem suam Iesus Christus apostolos accedere vetuerat, illos in sinum ecclesiae recepit. Atque ita scribitur: Ἀκούσαντες δὲ οἱ ἐν Ἱεροσολύμοις ἀπόστολοι ὅτι δέδε(κται) etc. Et: Τότε ἐπετίθεσαν τὰς χεῖρας ἐπ' αὐτούς⁵³. Et caverat vivens Iesus Christus, ne ad eos accederent contionatum doctrinam restituti Iudaeis regni, et [740] praeputiati erant et tum, cum de regni civium numero non essent, credere dicebantur. Quare percontatum et diligenter examinatum missus est Petrus et Ioannes, ut intelligerent, an res ita se haberet, et visa Spiritus Sancti praesentiae significatione, animadverterent vera esse, quae dicerentur. Nam moriturus Iesus Christus dixerat: πολλὰ ἔχω λέγειν ὑμῖν, ἀλλὰ οὐ δύνασθε... ὅταν δὲ ἔλθῃ...⁵⁴. Durum videbatur apostolis praeputiata gentem una secum, quae sancta posteritas Abrahamica erat, in unum regnum Iesu Christi esse cooptandam. Quare haec doctrinae annuntiatio in aliud tempus differenda erat et non nisi Spiritus Sancti monitione et praesentia declaranda. Vivente Iesu Christo mandatum fuerat, εἰς ὁδὸν ἔθνῶν ne venirent apostoli; at mortuo, monitus Petrus cum ad praeputiata gentem contionari coepisset, ἐπέπεσεν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπὶ πάντας τοὺς ακοούοντας τον λόγον, καὶ ἐξέστησαν οἱ ἐκ περιτομῆς πωτοῖ⁵⁵ etc. Et post multam disceptationem habitam ab omnibus contra Petrum, ὅτι πρὸς ἀνδρᾶς ἀκροβυστίαν ἔχοντας accessisset et cum eis edisset, cum rationes aduixisset Petrus cur hoc fecisset et quid deinde accidisset et de Spiritus Sancti praesentia, ἀκούσαντες δὲ ταῦτα ἠύχασαν, inquit, καὶ ἐδόξασαν τον Θεὸν λέγοντες etc. Et μοχ: ἴσαν δὲ τινες ἐξ αὐτῶν ἄνδρες Κύπριοι καὶ Κυρηναῖοι, οἵτινες εἰσέλθον(τες) usque *gavisus* etc. Ardua res et incredibilis videbatur, praeputiatis gentibus Deum sua dona donasse. Quare mittunt nunc in Samariam Petrum et Ioannem, nunc Antiocham Barnabam, ut intelligere possent, essetne ita ut audiebant, an minime. Hinc novae quaestioni principium datum aliis docentibus τοῖς ἔθνεσιν ὅτι ἐὰν μὴ περιτέμνησθε, τῷ ἔθνει Μώσεως οὐ δύνασθε σωθῆναι, contra apostolis asserentibus, et maxime plus quam omnes simul, unus solus Paulus, ἀνάθημα nuntians omnibus, qui circumcidenda τὰ ἔθνη adsererent, dicens Iudaeos circumcidendos pro more patrio, τὰ ἔθνη ab hoc onere esse libera. Quam ob causam omnes quotquot scripsit epistolas ob id edidit, ut suae opinionis manifesta extarent argumenta. Hac de re in libro de quattuor temporibus tractavi-mus. Sed redeo ad viam.

Haec futurae rei praenuntiatio, ad quam Spiritus Sanctus post mortem Iesu Christi manu veluti data deducere debebat apostolos, vera fuisse suo tempore manifestata est. Hanc illa antecedit divinatio et pars veluti huius est, eam ob causam, quod τῷ των Ἰουδαίων παραπτώματι ἢ σωτηρία τοῖς ἔθνεσι contingit. Ita describitur: καὶ κηρυχθήσεται τοῦτο τὸ εὐαγγέλιον (advenisse Iudaeorum regem) ἐν ὅλη τη οἰκουμένῃ (in omnibus urbibus Iudaeae, est enim phrasis) εἰς μαρτύριον πᾶσι τοῖς ἔθνεσι, καὶ τότε...⁵⁶. ὅτ' αν ἴδητε πάντα ταῦτα, γινώσχετε, ὅτι ἐγγύς ἐστιν ἐπὶ θύραις ἂμην λέγω ὑμῖν ὁ οὐρανός καὶ γῆ... περὶ δὲ τῆς ἡμέρας etc. Decretum Dei constans et firmum⁵⁷, etiamsi ruat caelum et terra dehiscat [741], suo tempore exerendum et ferendum. Nullus scivisset, inquit, nisi Deus de sua

52 in marg. Mat. 28, 18.

53 in marg. Act. 8, 14, 17.

54 in marg. Io. 16, 12.

55 in marg. Act. 10, 44.

56 in marg. Matt. 24, 14.

57 in marg. (Matt. 24,) 35.

ira contra tam rebellem et adversantem gentem certa et obfirmata suis vatibus significasset. Quo vero die et hora eventurum esset, nesciri, quoniam nondum illa Deus hominibus significasset. Hoc argumentum Paulus ad Thessalonicenses scribens tractat et totus Apocalypsis Ioannis libellus in hoc occupatur, ubi ruina Ierosolymitani regni describitur, ex cuius ruinis novum regnum cum residuis Israelitici generis erat excitandum a Iesu Christo.

Haec igitur res est, hoc argumentum, haec descriptio firmata tota in eo quod praedixit Iesus Christus fore et de abiectioe Iudaeorum et praeputiatorum electione, quam factam legimus in Actis Apostolicis, et de eversione Iudaici imperii, quod evenisse illis ipsis diebus, quibus Paulus liber ferme in carcere servabatur, narrat Iosephus. Neque aliud est, quod de futuro tempore atque adeo de omnibus partibus temporis in quibus examinandum et dispiciendum, quid in quaque accidisset, quando, per quem, quibus instrumentis, qua ex gente, quibus ministris, opus esse videatur nostris scriptoribus afflatu et praesentia Spiritus Sancti tali, qualis fuit ea, quae in praeputiatorum ad ecclesiam vocatione postulabatur. Omnia enim, quae narrant, aut de his sunt, quae ipsi viderunt et audierunt, quae sensuum vigilantiam requirebant, aut de his, quae alii a se visa, audita, lecta perscripserunt, quae memoriam fidelem et diligentem animum postulabant. Quae duo praeteriti et praesentis sunt temporis et in quibus aut somnus aut memoriae lapsus accidere scriptoribus potest. Et, si acciderit, nulla ob id Spiritui Sancto potest inuri culpa vitii⁵⁸. Ad futurum tempus, quod totum sibi observandum et custodiendum sumpserat Spiritus Sanctus⁵⁹, quod ad Iesu Christi divinationes rerum instantium pertineat, unum est τῶν ἐθνῶν ad regnum caelorum vocatio, quam alterum illud de Iudaeorum in praepceptum datorum casus antecessit. Quae duo evenisse et legimus et cognoscimus.

Quid est igitur (cur), si quippiam maculae ingenio scriptorum nostrorum humano inhaesisse animadvertimus, statim Spiritum Sanctum advocare velle videamur in ius, quod auctores nostros, cum de praeteritis et praesentibus rebus scriberent, firmissimae et tenacissimae memoriae, vigilantissimorum et diligentissimorum sensuum non effecerit? Hoc est: cur homines reliquerit, non creaverit Deos? Hac veritate de gentium in praeputio salute manifestata nosse uberius coeperunt apostoli, qualis esset Iesus Christus; quare ad singulas eius res gestas, legendo scripta vetusta, aperiente Spiritu Sancto scriptorum sensum antiquorum vatum, dicta conferebant et componebant. Qua in collatione etsi nullum sit vitium aut (error est enim partim hominis, qui facta Iesu Christi viderat, partim Spiritus Sancti, qui antiquarum sententiarum aperiebat inclusa sensa et hominem [742], qui haec scribebat et conferebat, sustentabat, ne erraret), tamen in nominum allegatione, in locorum, capitum et numerorum notatione siquid mendi inesse animadverteretur, in hominem potius scribentem quam in Spiritum Sanctum transferenda est culpa. Si, inquam, hoc animadverti posset. Hoc vero ob id dico, quoniam non assero quicquam erroris aut mendi a me deprehendi posse. Sed si ita sunt ab apostolis scripta, quae in varia exemplaria postea indiligentia hominum sunt transcripta, quae hoc tempore nos habemus sacra Biblia, et illa, quantum ad historiarum narrationem, quantum ad antiquos auctores, quos in testimonium adducunt, quantum ad diverbia, quae proferunt, in diversum ire cognoscuntur, et alterum fatendum esset: aut nostros scriptores falsos fuisse memoria, aut vates antiquos deceptos, seu illorum scripta emendata esse, seu naturae ordinem interpolatum. Si, inquam, alterum dicendum esset, si dicerem id, quod ipsi, si praesentes essent et huius rei moniti mendum subesse cognoscerent in seque reicerent culpam et me nomine ipsorum cogerent

⁵⁸ culpa vitii | culpae vitium cod. (corr. Domański) ⁵⁹ aliquid excidisse videtur.

respondere — non video, cur male sentire dici posse. Hanc tamen disputationem ob id proposui, ut indicarem in sacris scriptoribus legendis opera Spiritus Sancti ab humana fragilitate esse separanda utque lectores exacuerem, ut quaerent, qua ratione, salva Spiritus Sancti maiestate et ingenii atque memoriae nostrorum scriptorum commendatione, omnia, quae in libris Novi Testamenti qua ad minuta quaedam, quae in nostris et aliorum commentariis notantur, pertinent, componi et aptari possent, utque, si successui conatus non responderet, animadverterent, an illa ad haec aliqua ratione pertinerent *ἐκ στόματος νηπίων καὶ θηλαζόντων κατηγόσιω αἶνον*. Haec de multis, quae ad hanc rem tractandam facere videbantur, adduxisse sufficiat.